

Vitae

Sigismundus III.

Pol. Rex.

Pae Nicolai: ad Sigism. III. cum Vil-
nam — primum inivit — oratio.

Vitnae, 1589.

Ann. IV. d. 144

~~Vol. 5534~~



B. Jag. Cim. 4786

A D

SIGISMVN
DVM III.

CVM VILNAMLITVA,
NIÆ METROPOLIM PRL
MVM INIRET,

NICOLAI PACII,
ELOQVENTIÆ STUDIOSI,
in Academia Vilnensi Societatis
IESV,

ORATIO.



VILNÆ,

1589.

IN AQVILAM, EQVITEM,
& MANIPVLVM.



NIL nisi Mauortis cū pridem insignia haberet
Sarmata, sese armis miscuit alma Ceres.
Ferreā nimirum nunc secla abiere: sequentur
Tempora falcifero condita fortè Deo.

SIGIL



I tardius aliquanto, Sereniss. Rex, opinione
tua, collatum tibi Sarmatici imperij hono-
rem gratulari videbor, id non tam volun-
tati meae, quae prompta semper, ac parata
fuit, quam opportunitati assignandum putes.

Quae diu multumque expectata, nunquam mihi ante tanta,
quanta hodie obtigit. Sed effecit, ut arbitror non sine
diuino consilio, diuturna ista mora, ut multo maiori gau-
dio in praesentia cumulemur, quam si primis illis difficulta-
tibus adhuc regni tui initis, in solio regali sedenti ap-
plausissemus: & tibi modo tot laboribus molestisque per-
functo, longe iucundiora sint futura officia nostra. Mihi
verò siue tuam fortunam, siue Lituaniae nostrae recolenti,
siue superiorum annorum statum cum praesente conse-
renti, longiusque in futurum prospicienti, adeo amplam lae-
tandi materiam offerri video, ut nullam tantam dicendi
copiam, nullum tam admirabile ac diuinum orationis ge-
nus reperiri posse existimem, quod aliqua ex parte vel tu-
am, vel Sarmaticae Reipub. felicitatem consequi atque
explicare possit. Ac primum quod tibi, Sigismunde Rex,
gratuler, tria in primis faciunt, quod regno potitus, quod
competitoribus potentissimis antelatus, quodque facile in
tantam dignitatis altitudinem ascenderis. Sarmatiae vet-
ro nomine cur vel maximè gaudeam, planè innumera.
Continet enim in se, primum, regium nomen omnes om-
nino honorum titulos ac praerogativas, omnia virtutum
ornamenta, regni decus ac splendorem, ciuium ac popu-
larium salutem, omnium ordinum tutelam atque incolumi-

A ij

tatem,

tatem, domesticorum fælicitatem, exterarū gentium ad-
mirationem ac beneuolentiam, omnium deniq; temporū
ac locorum perpetuam laudem ac prædicationem. Cū
enim de Rege eligendo agitur, nō de Centurione aliquo,
aut Prætorē vrbano creando consultatur: sed is homo
quæritur, qui quantum cæteris dignitate anteit, tantū
alijs omnibus virtute, omniq; genere laudis præstare iu-
dicetur. Itaq; cū olim sic tempora moresq; ferrent, vt
homines per agros fusi ac dispersi vagarentur, nec plus
haberent quā manu ac viribus aut rapere aut retinere
potuissent; ad vnum aliquem confugerunt, cuius æquita-
te virtuteq; freti, a vi atq; iniuria tuti ac tecti esse possent.
Hinc postmodum descriptæ leges, vrbes ac mænia extru-
cta, atque a priori illa feritate, ad humanitatem ciuilemq;
cultum, mortales traducti. Quocirca sacrosanctum quid-
dam ac diuinum regere Rempub. semper existimatum
est. Eorumq; animas, qui optimas pro Repub. curas sus-
ceperant, patriam conseruārant, adiuuerant, auxerant;
hinc profectas, in superū cætu ac concilio, æuum quod-
dam beatissimū ac sempiternū adeptas, veteres puta-
bant. Quid enim tam necessarium atq; expetendum;
quā opes & vitam bonorum, ab improborum iniurijs,
fartas tectas tueri, malorum audaciam frangere, legibus
ac religione homines inter sese & cum Deo Opt. Max. de-
uincire, errorum labes ac pestes ex hominum animis de-
pellere? Quid porro tam magnificū ac admirabile, quā
omnibus rebus sic adesse, vt plebs sua sorte contenta, a
potentiorū insolentia vindicetur, Equites arma ac mili-
tiam

nam tractent, Iudices ac Magistratus æquitatem, Senatus
 sanctionem atq; immortalitatem in capiendis consilijs
 meditetur ac spectet? Vt quod parens suis liberis, anima
 corpori, sol mundo, hoc ciuibus suis Rex bonus ac sapiēs
 impertiat. Huc accedit quòd animis magnis, atq; altis inspi-
 tus sit a natura quidam principatus appetitus, quo alijs vir-
 tutum suarum opem lumenq; porrigant, nihilq; in rebus
 humanis pulchrius esse putent quàm imperare. Atq; vt
 Lyricorum Græciæ principis verbis ytar: ἐπ' ἅλλοισι δ' ἄλ-
 λοι, με γὰρ τοῖς ἐσχάτοις κορυφαῖς βασιλεύσι. Sunt enim quidam,
 (vt Philosophis placet) natura Reges: quo profecto desio-
 derio frustrari, non potest non esse permolestum: frui
 verò, sanè quàm iucundissimum. Itaq; tanquam hominis
 ad imperium nati, notata illa à veteribus Cæsaris Dicta-
 toris vox est: malle se in exiguo Alpium oppido, primū
 locum tenere; quàm Romæ secundum. Offici nimirum
 rationibus suis, consiliorumq; suorum cursum impediri
 dolebat, aliorum accessione, qui sibi se sufficientem puta-
 bat. Quocirca si in rerum mediocrium assécutione, apud
 eos, quos caros habemus, plurima lætitiæ, ac beneuolen-
 tiæ signa edere solemus; tum quo me gaudio triumphare,
 qua voluptate efferrī conuenit, cum tibi quod inter mor-
 tales primum atq; maximum habetur, delatum videam.
 Est igitur in magna fælicitate ponendum, te tanti Regni
 imperium consecutum esse. At quanto luculentior inde
 gloria elucet, in tanto competitorum idoneorum nume-
 ro, vnum te esse plurimorum animis consentientibus ex-
 petitum. Etenim quot quantiq; Principes, ad Sarmatiæ

principatum obtinendum, clam palamq; incubuerint, cui
demum obscurum esse potest? Quanta emolumentum spes
ab omnibus ostendebatur, quàm ingens promissionum
magnitudo, quanta per amicos contectio ac prehensio?
Quibus tamen omnibus à te vno palmam esse præreptā,
quodq; singulis non immerito concedi potuisset, id te so-
lū esse adeptum, immenso propè interuallo, fortunam
tuam exornat atq; illustrat. Vt enim panni ac lapides præ-
ciosi haud ita, soli, quales sint, deprehenduntur, quàm si cū
alijs conferantur; sic nunquam tam clarè perspecta tua
virtus fuisset, tam mirificè aucta regalis fastigij dignitas, si
eam solus, quàm si cum multis appetuisses. Multa in cæ-
teris competitoribus tuis regiaq; ornamenta fuisse, vidē-
re Senatores nostri: multas ad regnum Poloniae non tuen-
dum modò, sed & quàm latissimè propagandum commo-
ditates: ac si vicinitates, opportunitatesq; locorum specta-
re velimus; multò etiam fortassis, quàm illas Sueticas, ma-
iores. Sed nimirum excellentior quædam in te, gratiorq;
Regis species ac forma ob oculos Sarmatarū assidue ver-
sabatur: eaq; omnia in te cernebant, quæ ex quantum-
vis multis, minimè dubiam electionem faciebant. Quid
felicissimum tuum, è Suecia in Poloniam, cursum nauiga-
tionemq; commemorem, breuissimo tempore mari vent-
tisq; secundissimis confectam? quid ingressum tuū Cra-
couiensem tranquillissimum tutissimumq; explicem? qui
tamen si hostes passim omnia infesta redderent, tamen ve-
luti rebus vndiq; pacatis, sic in medijs triumphis versaba-
re. Sicq; tui conspectu Cracouiam exhilaratam, periculo-
rumq;

tumq; omnium oblitam accepimus, vt tota gaudio ac tri-
pudio diu noctuq; indulgeret. Vt qui rerum omnium mi-
rificum successum cum animo suo reputarit; quod illum,
quem paulo ante nominavi, Cæsarem, post Ægyptum pa-
catam, deuictumq; Pharnacem protulisse legimus, id tibi
quoq; fas esse dicere intelligat; Veni, vidi, vici. Possem,
quæ hæc tempora consecuta sunt, innumera percernere,
quæ te non casu, aut consilio aliquo humano, sed planè di-
uinitus ad regnum Poloniæ peruenisse non obscurè de-
monstrent. Sublatas illico de principatu contentiones,
tum pacem factam, fœdera antiqua redintegrata, comi-
tia, post hominum memoriam, tranquillissima, sapiētissi-
maq; habita. Quæ ne multus sim necessario mihi præter-
mittenda video. Illud tantum dico, qui hæc accuratè secū
cogitarit, dubium esse non posse, superis hominibusq; ap-
plaudentibus, te ad Sarmaticæ Reipub. clauum esse col-
locatum. Has cum ego S. M. V. gratulandi causas am-
plissimas esse reperiā, tamen cur Patriæ ac Reipub. gra-
tia, multo, si fas sit dicere, magis exultem, longè vt dixi
plures adesse video. Itaq; patere quæso, vt quàm in hoc
tuo optato admirabiliq; honoris aditu, lætitiā volupta-
temq; præmetuli; eandem in Patriæ nostræ fœlicitate
prædicanda exponam. Neque enim, si quid te Principe,
regno huic ornamenti gloriæq; accesserit, id à tua laude
disiunctum ac semotum vlllo pacto esse potest. Permulo-
rum ergo primum interest popularium, ad facile mode-
steq; parendum, si linguæ eiusdem cōmunionē vltro ci-
troq; animi concilientur, si mores Principis ac ciuium nō
dissis-

miles sint. Etenim quis non videt, quàm illud vtrisque molestum ac graue futurum sit, si quando eiusmodi quid dici contingat; linguam nostram ignorat, adhibendus nobis ad omnia interpres, mores nostros homo alienigena minime perspectos habet, suo more ac iure nos inuitos ac repugnantes regit ac moderatur. Vt quamuis cætera ad regendum præsidia affatim suppeditent, tamen hæc sermonis ac morum differentia incòmodiora certè, insuauiora quæ omnia sine dubio reddat. Hoc igitur cum ad mutuam charitatem plurimùm conducat, quod Sarmaticè scientem Regem habeamus; quantum porro inde còmodi accedit, quod sanguinis ac cognationis quoque vinculo còiunctum nacti simus. Sunt enim naturæ iura apud omnes gentes carissima atque sanctissima, fœdera arctissima, amicitia ac tutelæ firmissima: quas violare immanitatis cuiusdam, peruertere impietatis, contemnere insanix ac furoris, esse dicimus. E contrario verò exterorum concilia, quantumuis rectè cogitata, suspicioni semper obnoxia esse solent: vereri homines quo omnia ferantur, intimos Principum sensus perscrutari, timide se illis in omnibus credere, denique offendi facile, imperiumque minus beneuolè ferre, vnde grauissimæ in rebus gerendis molestiæ per sæpe oriuntur. Illud verò quàm ingenti ac incredibili, Sarmatarum omnium animos, lætitia ac gaudio còplet, cum te non solum lingua, ac cognatione Sarmatæ, Regem nobis præesse recordantur, sed Regum nostrorum stirpe, ac familia natum, Catharina Sigismundi magni filia, parente ortum; eo denique genere satum, quod Sarmaticæ genti ob
egregia

egregia omniū virtutum ornamenta, semper in delicijs
atque amoribus fuit: Lituaniæ autem, omnis infælicita-
tis ac miseriæ exitum attulit, omnisq; terra cæloq; gloriæ
adipiscendæ viam aperuit. At quem tandem tantum sa-
lutis suorum ac decoris authorem intelligo? Iagellonem
videlicet illum magnum, qui quantum populari de sua pa-
tria, Principi de suis ciuibus, homini de hominibus, mere-
ri fas est; tantum ille suis est impartitus. Hic nimirū est
IAGello ille qui Lituaniam nostram teterrima supersti-
tione oppressam, sanctissima Christi Opt. max. religione
erudiuit, a vicinis hostibus miserè afflictam, incredibili
virtute ac fælicitate restituit, hostes imperij æmulos sub-
ditionem suā subiunxit. Lituanos ac Polonos infestis ar-
mis sæpenumero antè concurrentes, mutuāq; sibi perniti-
ciem machinantes, æterna pace ac fædere deuinxit. Quid
igitur tantum aut Lacedæmonijs suis, contulit Lycurgus,
aut Atheniensibus solon, Romulus Romanis, Lechus Po-
lonis, aut Lituanis deniq; Palæmon noster, quod cum Ia-
gellonis meritis conferri possit? Qui si quid contulerunt,
caducum profectò erat, exiguisq; huius vitæ finibus con-
tinebatur: ille vnā cum religione Catholica, æternam
nobis gloriam fælicitatemq; peperit. Sed vt de Iagello-
nis regijs diuinisq; virtutibus loqui desinam, quas me ora-
tionis angustia non enumerare, nedum exornare sinit;
Sueticos autem Gothicosq; maiores tuos, propter eādem
causam ne attingam quidem; ac de te Rex clementissime
pauca dicere incipiam; tametsi à nobilissimo Poëta decan-
tatum scimus:

B **Fortes**

Fortes creantur fortibus, & bonis;
Est in iuuenis, est in equis, patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ, columbam.
Tamen si nondum esset, vel tuo id exemplo testimonioq;
doceri posset, omnes, inquam, tuarum virtutum admira-
tione ac splendore deuotos tibi atq; obnoxios facis, pie-
tate, constantia, prudentia, comitate, sic omnium in te
animos voluntatesq; conuertis, vt cum exiguo tempo-
ris spacio, huic regno præfueris, propter ciuium ta-
men in te studium ac beneuolentiam, pluribus annis impe-
rasse videaris. Itaq; in tanta seu nationum quibus præes vari-
etate, seu contrarijs partium ac factionum studijs, vix quis-
quam reperitur qui dicta factaq; tua iudicio non compro-
bet suo, rarus ac propemodum nullus sit, qui reprehendi-
dat. Quid quod velut alter lagello, bellicosissimam Sue-
corum ac Gotorum gentem Sarmatiae non amicam tan-
tum, sed prope sociam tuo aduentu reddideris. Vt siue
res olim amissae repetendae sint, siue vis aliunde ab hosti-
bus illata propulsanda, habeat per te Respub. nostra præ-
sidium è Suecia, maximum. Paucioribus me video lati-
tiae communis causas complexum esse, quam rerum tan-
tarum dignitas ac amplitudo postulare. Sed maiestatem
tuam longiore oratione morandam non censiui. Id ergo
reliquum est vnum, vt assiduis precibus à diuina illa sum-
maq; bonitate flagitemus, vt hoc nostrum gaudium con-
ceptum atque inchoatum, quam maximè diuturnum esse
velit. Quod haud tibi effectu difficilè futurum arbitror,
si lagellonem illum, vestrae familiae principem ac decus,

verissimā regnandi formam, atq; exemplar, tibi semper
Rex, ob oculos propositū habeas. Qui cū Lituaniam
omnem execrando Dæmonū cultui implicatam haberet,
exemplo authoritateq; sua, Christiana religione excolu-
it. Ac quantum alij Principes, suorum bonis ac corpori-
bus tuendis incumbere solent, tantum ille vt animi vera
Dei cognitione imbuerentur, elaborandū putauit. Vnde
siue sopiendæ illi domesticæ lites essent, siue cum externo
hoste confligendum, propitio semper numine vsus est.
Porro quis modo Litaniæ nostræ status sit? Si Gismunde
Rex non ignoras, quā perditis ac perniciosis sectis di-
stracta ac diuisa, quot hæresum formis, quanta variarū
doctrinarum labe ac cōtagione deformata, quanta quāq;
furiosa licentia, sanctissima Ecclesiæ Catholicæ religio
passim à plerisq; contaminetur ac polluatur, vt cum vete-
rū falsorum Litaniæ Deorum numero, opinionū peruer-
sissimarū multitudo, facile conferri possit. Cui tu tam le-
thali malo tollendo, Rex potentissime, per Deum immor-
talem, omni ope contentioneq; incumbe: suscipe partes
pietatis, ac innocentia: à Christo Opt. Max. partam mor-
talibus salutem, consilio authoritateq; tuere, religionem
sanctissimam, antiquissimā, certissimam à barbaris erro-
ribus corrumpi, nullo modo per te cuiquam fas sit. Aper-
tis malorum Dæmonum machinationibus, atq; artibus
obuiam ito: innumeros homines ab æterna ruina, sapien-
tia, ac virtute tua prohibe. Etenim qua demum voce Ia-
gellonem illum patriæ nostræ verissimum patrem, te si
mortalibus redderetur, compellaturum existimas? An nō
B. h. eius

eiufmodi oratione te ad omne decus incitare conaretur? Ego annis ab hinc ducentis Lituaniam omnem, exitiali vi-
perarum atq; anguium cultui deditam, Christo vero Deo s-
parere docui, ab infana funestaq; Dæmonum superstitio-
ne, ad diuiniffimæ religionis sanctimoniam adduxi: men-
oq; ipse ore in fide Catholica spem omnem æternitatis
ponendam Lituanos edocui. Lucis excisis, falforumq; nu-
minum euerfis delubris, humani generis conditori, atque
liberatori, templa innumera locaui. Academiam omniū
liberalium artium parentem atque altricem, Cracouiae
Sarmatis, impensa mea extruxi. Delatū mihi Bohemiæ
regnum, quod hæresum peste contaminatum esse intelli-
gerem, adire recusabam. His ego gradibus vita, secundo
semper rerum successu exacta, in cælum conscendi. Qua
profectò oratione, si apud te vteretur, dubium nullū est,
quin mirificos ad omnia præclara facinora suscipienda,
tibi stimulos adderet, sed nunc res ipsa loquitur. Etenim
quid obsecro interest inter præteritos angues ac colu-
bros, & præsentis obscænas hæreses, præsertim cū quid
libet de Deo, amenti cuiq; ac fanatico sentire, ac dicere,
imò quoduis sibi iam numen fingere, impunè liceat. Dicam
amplius, si quis veteres illas sordes, infamesq; nocentissi-
marum bestiolarum cultus renouare velit, ac Vilnæ in-
totius Lituaniæ luce, ac ore, colubris sacra facere, qua is
Reipub. nostræ lege reprehendetur, quo supplicio coera-
cebitur, quo quæsitore ac indice pænas dabit? Vt Litua-
nis innumeris præstabilius foret, si christianæ religionis
lucem nunquam aspexissent, quàm ea spreta atque cōtem-
pta,

pta, grauioribus tandem supplicijs ærūnisq; mandari. O
dissolutum ac perditum Reipub. nostræ statum: o diram
atque effrenatam impietatem. Eo prorupisse hominum
scelus ac furorem, vt sibi liberè perire integrum esse ve
lint. Quasi verò si quæ ciuitas esset, in qua impunè furat
ri vel occidere liceret, huiusmodi mores aut leges non
omnes execrandas, atq; antiquandas censerent, non pot
tius, inquam, latrocinium quam Respub. eiusmodi socie
tas appellanda esset: sic sublata ex hominum animis reli
gione (qua maximè pleriq; à flagitio deterrentur, interq;
se se copulantur,) impunitateq; concessa quis non videt,
pro iustitia, dominaturam immanitatem, pro continentia
ac grauitate simulationē, p veritate ac simplicitate dolū,
p trāquillissimo deniq; omnium virtutū concentu, qui in
Catholicis rebus publicis existere solet, omniū viciorum
perturbationem ac permissionem? Quemadmodū ergo
quod Christianæ religionis luce illustrata, venenatissio
ma animalia, Lituania ampliū non colit, IAGelloni reli
giosissimo Principi debemus: ira per te, SIGismunde Rex,
ne fædissimis hæresibus diutiū illudamur, maiorum tu
orum exempla à te postulant, patria carissima enixè ob
testatur, omnes te boni etiam atq; etiam orant atq; obse
crant. Hoc age, in hoc elabora, huc omnia consilia refer,
vt quod Regum Christianorum esse debet, tuos à sempit
terno interitu vindicatos velis. Sic nimirum tam fælicis
bus tui regni auspicijs, egregios conatus, omniumq; de te
expectatione dignissimos adiunges: quodq; omnes tibi
optamus, assidujsq; precibus efflagitamus, nomen Sigi
smundi

mundi tertij in clarissimis, optimeq; meritis Sarmatiae
Regibus, aliquando collocabis. DIXI.

P E T R I P A C.

E M B L E M A.

Palma pondere pressa.

Virescit vulnere virtus.

DVM magno premitur confurgit pondere palma,
Si retrahas pondus retrahet illa gradum;
Sic tua Rex dura virtus exercita sorte,
Quo magis tunc latuit, nunc magis in orbe viget.

E M B L E M A.

Lysimachus Leonem suffocans.

Hoc virtutis opus.

Vulnera Lysimachus dum vitat dira Leonis;
Non fugiendo feram, sed feriendo necat,
Te quoq; Rex toties voluit mors vincere: sed tu
Non fugiendo illam, verum adeundo fugas.

DE CATHARINA IAGELLONIA

AD SIGISMVNDVM III.

CVM tua Diua parens, tali se prole beatam
Cerneret: exultans talia dicta dedit.
O quem te referam, superum pater atq; hominū Rex,
Qui sobolem præstas hanc genuisse mihi;
Sarmaticæ genti debetur tanta propago,
Ut genus instauret Magne IAGello tutum.
Catholico hunc ritu primis formemus ab annis,
Respuit hæreticos Sarmata habere Cuces,
Dixerat: omnipotens visus celsisse precanti est,
Sacra Dei vates, vel Catharina fuit.



THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

THE CATHEDRAL OF AGELLONIA

AND ST. GEORGE'S CHURCH

LIBRARY UNIT



JAGELLONICAE



